

autem infirma. Quæ verba S. Athanasius, in sexta synod. Constantinop. generali, act. IV. in epist. Agath. pap. de Christo ipso intelligit, asserens Christi carnem infirmam fuisse quatenus mortem et cruciatu naturali affectu horruit: spiritum vero promptum fuisse, quatenus rationalis ejus appetitus magno desiderio ferebatur ad patiendum pro humano genere. Vidimus hactenus utriusque appetitus signa manifesta, carnis infirmitatem quando dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; quando oravit: *Si fieri potest, transfer a me calicem istum*; quando positus in agonia, sanguinem sudavit. Vidimus etiam spiritus promptitudinem: quando ab oratione surgens, excitavit discipulos et hostibus obviavit; quando prostratos surgere permisit, et se illis prodidit; quando Petrum gladio resistantem coercuit, et capiendum se ultro præbuit. Nunc quid circa hoc factum contigerit, videamus.

I. Dum injiciunt manus Jesu, *Petrus exemit gladium et percutiens servum principis sacerdotum; amputavit auriculam ejus dexteram*. Fecit hoc Petrus primo, tamquam bonus discipulus ex amore magistri, bono utique zelo, defendendi magistrum et innocentem contra vim iniquam. (Nam ss. patres communiter hoc factum Petri non improbant, sed et laudant.) Bonus utique servus defendere volens dominum suum, quemadmodum et Abisai volens defendere regem suum David contra conviciatorem Semei, II. Reg. XVII. Docens interim nos Dei et proximi injurias non ferre, sed proprias; sicut ipse quando Romæ captus et ad crucem ductus est, nequaquam restitit. Unde S. Chrysost. dicebat: *In injuriis propriis, patientem esse laudabile est: injurias autem Dei patienter ferre, nimis est impium*. Sic David alienarum injuriarum ultor erat severissimus; uti in illum divitem, qui ovem pauperis rapuisse dicebatur: *Vivit Dominus*, inquit, *quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc*, II. Reg. XII. propriarum vero neglector.

Secundo, fecit tamquam futurus Ecclesiæ pontifex, demonstrans etiam gladium esse penes Ecclesiam, eumque exercendum contra impios. Gladium imprimis spirituale censuram, quibus coerceri inobedientes debeant: ideoque aurem amputavit, ut indicaret amputandos a corpore Ecclesiæ eos, qui Ecclesiam non audiunt, tametsi aures habent, juxta id Salvatoris: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus*. Deinde gladium etiam corporalem ad defensionem suam contra hæreticos, etc. Persuadere quidem nobis conantur Calvinistæ in primis ut horas nostras decantemus, et arma non induamus contra ipsos et ipsorum similes, Turcas,

etc. Sed hæc illi aliis occinant. Nos etsi scimus hic loci Christum præcepisse Petro ut gladium vaginæ redderet, quia hic defendi volebat ne impediretur ejus passio; scimus tamen et hoc, non inhibuisse omnino hunc gladium, cum facile potuisset; et præterea paulo ante in cœna dixisse Dominum, Luc. XXII. *Qui non habet, vendat tunicam suam et emat gladium*. Cumque dixissent discipuli: *Domine, ecce duo gladii hic*, respondit: *Satis est*. In quem locum S. Bernard. l. IV. de considerat. ad Eugenium pontific. II. ait, significatos esse ibi duos Ecclesiæ gladios spirituales et materiales. « Si nullo modo, inquit, gladius materialis ad te pertineret, dicentibus apostolis: *Ecce duo gladii hic*, non respondisset Dominus: *Satis est*, sed nimis est. Uterque ergo gladius Ecclesiæ et spiritualis et materialis. » Sic ille.

Tertio, fecit tamquam strenuus heros, confisus non in robore et gladio suo, sed potius in domino suo, quomodo olim David adhuc adolescens Goliatho obviavit, non tam in funda et baculo suo confisus, quam in nomine Domini. Quo modo enim unus Petrus tantæ se et quidem armatæ turbæ opponere auderet? Certe postea cum Dominum a dextris non haberet, ad vocem ancillæ timuit, et Dominum negavit. Itaque *omnia possumus in eo, qui nos confortat*, Domino, sine ipso nihil possumus. Et sane adfuit Petro Dominus in eo, quod incolumem esse voluit. Nisi Dominus id fecisset, quomodo impune hoc tulisset Petrus? Nimirum optimum habuit contra vulnera præservativum, Christum scilicet a dextris, quem si et nostri milites haberent, felicius pugnarent.

Sed cur aurem abscidit? Caput haud dubie intendebat, non aurem tantum amputare Petrus, uti advertit Chrysostomus in Joan. cur ergo in aurem ictus cecidit? Primo, Christus, ut arbitror, declinavit ictum: ne si hostium aliquis occideretur, ipsi irritarentur ut Christum et discipulos statim trucidarent. Et quantum hoc pacto bonum nobis ademptum fuisset? Docet ergo Christus contra vim iniquam defensionem institui posse, sed cum moderamine inculpata tutelæ, v. g. si quis manus tibi injiciat, nec vales eum lenire verbis, potes, si vis, vim vi repellere, et ictu aliquo hostem excipere, ne nocere tibi pergat, etc. Noli tamen vitam ejus petere et gravia damna inferre. Sic enim Petrus non punctum, sed cæsim defendit.

Secundo, sensu mystico, quia Judæi aurem et quidem dexteram non habebant, ad audiendum, scilicet Dei Filium de cœlo ad se missum: sed potius audiebant traditiones suas, pseudopro-

phetas et Judam dicentem: *Tenete eum*. Aures habebant, sed non audiendi; ad quid ergo eis aures? Abscindantur. Sic enim immorigeris filiis, qui parentum monita non audiunt, et pravis societatibus adherent, furantur, etc. comprehensis magistratus primo abscidit aurem unam, redeuntibus demit alteram, tandem laqueo vitam adimit. Sic ergo hic Judæis primo, abscidit aurem suam unam: postea, sub Tito alteram in eversione urbis. Denique, sub Elío Hadriano omnino eos exterminavit e suo territorio, ita ut ne pedem quidem in id referre auderent, et in omnem dispersit orbem, manetque eos patibulum gehennæ. Sed quemadmodum Dominus restituit aurem Malcho, sic ad finem mundi redibunt ad Ecclesiam Judæi et vocem Christi audient, juxta ejus prædictionem. Interim vero usque ad id tempus, sinistra tantum aure Dei et Moysis mandata percipient, id est, *res temporales tantum curabunt*, ait S. Ambrosius, in c. XXII. Lucæ. Observavit hoc Constantinus imp. qui rebellibus Judæis jussit amputari aurículas, ut tradit S. Chrysostomus, hom. II. contra Judæos.

Tertio, ad instructionem nostram ut cavere-mus Malchi fratres spirituales, qui aurem tantum sinistram habent, quales sunt primo, qui aures non habent ad audiendum Dei verbum, sed tantum ad fabulas, detractiones, fidicines et profanas cantilenas novaque quæ passim fiunt. De quibus prædixit apostolus fore ultimis temporibus homines, qui *a veritate quidem auditum averterent, ad fabulas autem converterentur*. Secundo, qui mala tantum proximorum audire gestiunt, bona vero nolunt, veluti vitia pontificum et sacerdotum: sed non eorum virtutes et opera laude digna. Tertio, judices qui unam solum et non alteram partem audiunt; et ad quos divitum tantum, non pauperum causa ingreditur; quorum auris dextera truncatur aureis gladiis vel argenteis.

II. Christus continuit discipulos dicens: *Sinite usque huc*; et in specie Petro ait: *Mitte gladium in vaginam, etc.* Quid sibi vult ea voce: *Sinite usque huc*? An forte idem, quod mari præcipit: *Usque huc venies et hic confringes tumentes fluctus tuos*, Job XXXVIII. dicere enim videtur: satis est huc usque processisse: continete iracundiam, quia ego sum qui præcipio. An vero idem, ac si dicat: *Sinite hostes istos usque ad me venire, ne passionem meam impediatis*? An denique vult dicere: *Sinite huc usque venire ad me Malchum, ut aurem ei restituum*?

Sed quibus argumentis suadet Petro ut gladium recõdat in vaginam? Primo: *Omnes enim*

qui acceperint gladium, gladio peribunt, q. d. necis legem illam Dei, Genes. IX. *Quicumque fuerit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*? Et illam Exod. XXI. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*? Privatam ergo vindictam prohibet Dominus; non adimit gladium magistratui, quod volunt Anabaptistæ: imo vero manifeste tribuit, dum ait homicidas gladio perituros. Quo gladio? Magistratus; experti sunt Judæi, qui quoniam cum gladiis et fustibus comprehenderunt Christum, gladiis Romanorum occubuerunt; quia Christum crucifixerunt, crucifixi et ipsi sunt, et quidem cum magno fenore, ita ut corporibus cruce deessent, teste Josepho; quia Christum pretio emerunt, pretio et ipsi venditi sunt.

Secundo: *An putas quia non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum*? q. d. ad quid mihi tuus gladius qui si me defendere vellem, pro duodecim discipulis defensoribus duodecim habere legiones angelorum possem? Quod si ad defensionem Elisæi maximus angelorum exercitus e cœlo missus apparuit, IV. Reg. VI. quanto promptius adfuisset Christo, si eos in subsidium vocare voluisset?

Tertio: *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri*? Nimis crebro, nimis aperte prædicatur a Scripturis passio Christi: non ergo impedienda fuit.

Quarto: *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum*? Simili ratione increpavit Petrum, eum eum a passione vellet retrahere, Matth. XVI. *Vade retro Satana*, inquit. Adeo nimirum sitiēbat salutem nostram, ut dilectissimum discipulum, dissuadentem sibi crucem, Satanam vocarit.

Disce hinc rationem suadenti tibi et aliis patientiam ac mansuetudinem contra inimicos et persecutores, primo, quia *qui gladium acceperint, gladio peribunt*, nimirum vel hic in vita; (plerumque enim male pereunt, qui alios male perdunt: ut taceam vermem conscientiæ quo velut gladio perpetuo fodiuntur) vel post mortem gladio illo ex utraque parte acuto, qui egredietur de ore judicis in damnatos, Apoc. I.

Secundo, quia si Deo injuriam nostram transcribamus vel magistratui, etiam multo melius ille nos defendet, quam nos possumus. Exemplo est Abraham, cujus injuriam ob uxorem ablatam ab Abimelech multo acrius ultus est Deus, quam ipse potuisset. Tertio, quia Scripturæ passim momentem remittendas esse injurias, non reddendum malum pro malo. Item: *Non vosmetipsos defendentes, scriptum est enim: Mihi vindicta, etc.* Rom.

XV. Quarto, quia injuriæ et persecutiones quas patimur calix quidam præclarus sunt et potio salutaris, a Deo optimo medico et patre nobis propinata ad salutem animæ nostræ procurandam. Hinc S. Ignatius martyr a bestiis devorari optavit. *Quod si venire mihi noluerint, inquit, ego vim faciam: ego me urgebo, ut devorent. Ignoscite, filioli, quid mihi prosit, ego scio.* Sane ob hanc causam Christus Judam osculo se prodentem, *amicum* vocat; Petrum vero volentem impedire ejus passionem, *Satanam*. Docet enim non omnes illos esse amicos qui nobis bona loquuntur, nec omnes illos esse hostes qui mala. Dicit ergo: *Calicem quem dedit mihi Pater non bibam?* Suave hoc purgatorium, cum quo grave illud commutare possum, non subeam? Hoc medio coercuit David servum suum Abisai, ne maledicentem sibi Semei interficeret: *Dimitte eum, ait ad illum et servos suos, ut maledicat juxta præceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, etc.* II. Reg. XVI.

III. *Cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.* Fecit hoc Christus primo, ad tumultum et furorem Judæorum sæviorem impediendum, qui haud dubie exortus fuisset, ob damnum a Petro illatum, nisi id Christus mox resarcisset. Taceo quod hinc occasionem calumniandi et accusandi eum accipere potuissent. Docemur interim nos iracundiæ alienæ ligna mox subtrahere, et si per nos vel nostros damnum alicui illatum est, illud resarcire: similiter omnia facere ut ne proximum ad iracundiam concitemus et fraternam charitatem scindamus. Huc pertinent illa Christi verba: *Qui voluerit tunicam tuam tollere, da ei et pallium, etc.* Matth. V.

Secundo, ut ostenderet hostibus rursum potentiam suam, qua si vellet, facile eorum fugere manus posset. Qui enim rem difficiliorem potest, qualis est auris amputata subita restitutio, non poterit faciliorem, qualis est fugere vel fugare hostes? Unde hic in genua cadere debuissent et adorare ipsum, sicut leprosus ille sanatus. Sed nimirum excæcatum erat et induratum cor eorum: ut sic appareat, quantum malum sit dari in reprobum sensum; quot modis excitavit eos Dominus? Nec tamen evigilare voluerunt. O lethargum mortiferum!

Tertio, ut beneficio hoc deliniret hostes et ad resipiscentiam invitaret. Pugnant illi in Christum gladiis et fustibus; pugnat in illos Christus beneficiis. Credibile est servum illum pontificis primum fuisse, qui injiceret manus Christo, ferociorem aliis, eo quod solus Petri gladio petitus sit. Tantæ igitur malitiæ, tantum rependit Dominus beneficium. Disce, Christiane, non reddere

malum pro malo, sed benefacere his qui oderunt te, etc. Quin etiam quotidie facit hoc nobis Deus, quod Malcho Christus fecit. Nos enim Deum nostrum perpetuo impugnamus peccatis nostris; et tamen interim ille nos alit, fovet, sanat, omnibusque donis cumulat? *Pluit super injustos et injustos, etc.*

§ VIII. — COMPREHENSO CHRISTI.

I. Christus exprobrat cohorti. — II. Injiciunt manus in Jesum. — III. Ligant eum. — IV. Fugiant discipuli. — V. Sequitur adolescens.

THEMA.

Comprehenderunt Jesum et ligaverunt eum. Joan. X.

Quando arca Dei capta fuit a Philisthæis, Judæorum hostibus, in prælio, maximis doloribus correpti sunt Israelitæ. Imprimis vir unus ex acie venit in Silo die illa, scissa veste et conspersus pulvere caput et nuntiavit urbi, captam esse arcam: *Quo audito ululavit omnis civitas, inquit sacer textus.* Venit deinde ad Heli summum sacerdotem, et cum idipsum ei retulisset, consternatus Heli cecidit de sella retrorsum et fractis cervicibus mortuus est, postea nurus ejus, audito eodem nuntio, subitis partus doloribus præventa est et peperit vocavitque puerum *Ichabod*, id est, *ubi gloria*, dicens: *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei,* I. Reg. IV. Arcam illam ex lignis imputribilibus confectam, necnon auro puro intra et extra deauratam, typum fuisse humanitatis Christi, omni vitiorum labe carentis et omni gratiarum genere decoratæ, volunt S. Greg. in Ezech. ven. Beda in Exod. Cyrillus super Joann. Hæc ergo vera et viva arca capta est ab hostibus, quando in horto Oliveti comprehensa est a Judæis. Quod tristissimum nuntium merito nos omnes affligere debet. Si enim Israelitæ ob captionem arcæ lignæ tantopere doluerunt; non dolebimus nos ob captionem arcæ vivæ? Multo enim justius dicere nos possumus: *Gloria nostra translata est a nobis et venit in manus hostium.* O arca! O gloria! Quam indigne tu tractaberis inter hostium manus? Væ tibi Samson, *Philistiim super te.* Sed modo videamus, quid circa hanc comprehensionem acciderit.

I. Sanato Malcho, Christus exprobravit cohorti, quod velut ad latronem exierit ad eum comprehendendum. Fecit hoc primo, ut Judæi in se reversi agnoscerent quam inique agerent: juxta doctrinam Eccl. XIX. *Corripe amicum ne forte non*

intellexerit et dicat: Non feci. Porro ingenti cæcitate agebantur hic Judæi; noluerunt enim intelligere Christum plusquam hominem et virum sanctum esse, cum tamen tot beneficia ab eo acceperint et miracula viderint, et nunc primum, verbo se ab eo prostratos, Malchum mox sanatum; his tamen insuper habitis, adhuc eum velut latronem capere quærebant. Secundo, ad hominem inermem et nihil unquam hostile molitum venerunt armati gladiis et fustibus, veluti ad hostem publicum, vel canem rabiosum omnibus infestum. Tertio, exierunt foras ad quærendum eum velut fugitivum, cum in ipsa urbe frequentissimum vidissent, sedentem et docentem in templo. Quarto, sub noctem quæsierunt, quem de die quoties vellent poterant apprehendere: quasi nocturnus latro et clancularius insidiator esset. Quæ omnia Judæi ex ingenti livore et certa malitia faciebant ad infamandum Christum: cum optime scirent, nihil istis opus esse, nec talia Christum promeruisse. Unde subdidit Dominus: *Sed hæc est hora vestra et potestas tenebrarum, q. d. ad hoc faciendum principes tenebrarum vos instigarunt; vel agitis in hoc quasi tenebriones lucem oppugnantes, a cujus radiis oculi vestri perstricti sunt.*

Secundo, ut ostenderet se non timere eos, qui occidunt corpus; (quod antea faciendum docuerat) si enim timuisset illos, non increpasset, sed verba illis placentia locutus fuisset. Vide hic peccatum et imperterritum animum, in redarguendis hostibus, quamque libere agat in medio eorum et omnibus verbum suum impertiat; Judam proditorem sceleris sui monet: Petro pluribus præcipit ac suadet gladium ut deponat, Malcho aurem relectam sanat: discipulis salvum conductum præbet, comprehensores arguit: interim nemo in eum mittit manus, quousque se illis tradat, quod fecisse videtur illis verbis: *Sed hæc est hora vestra et potestas tenebrarum.* Hic enim videtur Christus gladium quodammodo abjecisse suum, id est, voluntatem defendendi se, et præbuisse se potestati hostium, loquebatur ergo hic sicut potestatem habens, potestatem inquam ponendi animam suam.

Tertio, ut admoneret illos tacita comminatione quodam, fore aliquando tempus ut hanc injuriam ulciscatur: sicut Judam extreme monuit: *Væ autem homini, etc.* Hoc enim fecit, cum ait: *Sed hæc est hora vestra, quasi diceret: Habetis nunc horam unam ad libidinem vestram exercendam: sed scitote interim venturam aliquando aoram etiam meam, qua et ego faciam quod volo et quod vos meremini. Tacet quidem aquila, dum a corniculis circumstrepentibus lacessitur*

et vexatur. Sed tandem et ipsa opportune ulciscitur, Pier. I. XIX.

II. *Tunc manus injecerunt in Jesum et comprehenderunt eum.* Quis nobis hic exponet, quanta cum rabie et insultatione Christum invaserint, quam indigne tractarint? Aliquid nobis prædixit S. ille David, cum de ista comprehensione dixit, in psalmis suis: *Circumdedero me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens.* Et intra: *Circumdedero me canes multi,* Psal. XXI. Et rursum: *Circumdedero me sicut apes,* Psal. CXVII. Vitulis comparantur propter petulantiam et nocendi libidinem; tauris propter impetum in eum factum, quo hac illac trudebant et impellebant quasi cornibus; leonibus, propter clamores et tumultus quos ciebant; canibus propter aviditatem prædæ et sitim qua, veluti canes feram, invadebant Christum, vel etiam propter criminationes et convicia, quibus eum velut latratibus impetebant; apibus propter multitudinem; ut enim apes magno numero totum obsident hominem, q. d. ad hoc faciendum membra impetunt, sic Judæi Christum: alius in capillos involabat, alius faciem cædebat, alius collo funem injiciebat, alius manus ligabat, alius in terram prosternebat, alius conculcabat, etc. Quæ omnia licet non consignarint evangelistæ, quia scilicet discipuli fugam tunc arripiebant, dubium tamen non est, quin facta sint; a multo enim tempore Christo infensissimierant, et necem machinabantur, quia ejus sermonibus acriter pungebantur: unde hic tandem spe sua potiti, venenum omne effundebant. Et hoc est quod representare intendit Ecclesia in matutino tenebroso, per excitationem strepitus. Vah quale hoc spectaculum, ubi creator a creaturis suis tam indigne tractatur! Sed magis mirandum illud, quod Christus hæc patitur et non perdat in momento nequissimam hanc turbam. Novimus ex II. Reg. VI. Ozam bona intentione, sed aliqua tamen cum irreverentia manum admoveisse ad arcam, quando calcitrantibus bobus ea casum minabatur, et propterea subito extinctum esse. Et cur non multo magis extinguuntur isti, qui tam impias manus injiciunt in arcam vivam?

III. *Ligaverunt eum.* Nescio an hoc majorem attulerit Christo dolorem, an vero ignominiam. Nam una ex parte quantum affert cruciatum, si vinculis constringantur manus, testantur miseri illi, qui ad supplicia ducuntur. Rogare enim carnificem audiuntur pro vinculorum relaxatione aliqua, quod graviter crucientur nimia constrictione. Christum vero arcissime vinctum esse vel illud argumento est, quod jusserit eum

Judas teneri et duci caute, velut magum scilicet, qui facile elabi posset. Altera ex parte quanta ignominia sit, vinciri hominem ingenuum et liberum, Cicero testatur, qui dixit, orat. VII. in Verrem: *Scelus est vincire civem Romanum*. Necnon S. Bernardus, tract. de passione, cap. IV. « Bene quidam rex, inquit, cum percussus humana sagitta peteretur, ut se ligari permetteret, donec excinderetur, quia levissimo motu mortem posset incurrere. Non decet, inquit, vinciri regem. Libera sit regis et semper salva potestas. O Deus deorum, quantum ergo derogatum fuit libertati et potentiae tuae? Tot adeo ligaris vinculis, qui solus ligandi et solvendi potestatem habes? » Hæc Bernardus. Ad quid ergo ligari voluit? Respondet primo S. Bernardus. « Sed propter misericordiam tuam, inquit ligatus es, ut nos a miseriis nostris faceres absolutos. » Victi eramus sub potestate dæmonis: et præterea quilibet peccator *fumibus peccatorum suorum constringitur*, ut ait Sapiens, Prov. V. Ui hi funes rumperentur in arcta illa vincula manus suas inseruit Christus: peccata igitur nostra vincula fuerunt, quibus Dominus constrictus est juxta id Thren. IV. *Christus Dominus* (Hebr. Christus Jehovah) *captus est in peccatis nostris*. Nisi hæc fuissent, Christus materialia illa vincula rupisset velut Samson. Benignissimus tamen Dominus non adscribit hanc captivitatem suam peccatis nostris, sed amoris suo erga nos: quomodo nimirum Samson ob amorem Dalilæ passus est se tonderi ab ea tradique Philisthæis, Jud. XVI. Ut enim Martem Vulcanus prius vincire non potuit, quam a Venere victus fuisset, ut est apud Lucianum. Et ut Philisthæi vincire Samsonem nequissent nisi victus prius esset a Dalila: sic nec Judæi Christum, nisi amor nostri prius eum ligasset.

Secundo, propter peccatum primorum parentum, qui contra Dei præceptum manus suas extenderunt ad pomum vetitum. Vide quantum vulnus a quam levi tactu humano generi inflatum sit, quod tam difficili cura eguit.

Tertio, propter instructionem nostram, ut spiritaliter ligemus membra per mortificationem et in vincula obedientiæ traderemus; ne alioquin, si pro nostra libidine ad illicita quæque ea extendere velimus, ligatis aliquando manibus et pedibus mittamur in tenebras exteriores.

IV. *Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt*. Discite hic primo, quantum positum sit in præsentia boni pastoris, et rectoris. Hic enim impleta est prophetia Zach. XII. uti prædixit Dominus: *Percute pastorem et dispergentur oves*. Ubi

enim pastor non est, vel ipsemet peccatorum suorum vinculis constrictus est, vel in officio suo negligens et timidus: ibi nulla ovium disciplina, sed dispersio et vastatio.

Secundo, disce non præsumere de teipso, quantumvis tibi firmus videaris; nisi enim adsit Deus præsidio et auxilio suo, statim animo concides. Quam solidus id fide videbatur sibi Petrus, qui tam serio se jactabat quod paratus esset cum Christo in carcerem et mortem ire? Iacobus item et Joannes qui calicem Christi hibernæ se posse dicebant, similiter et Thomas, qui aliquando mori cum Christo volebat? Sed instanti tentatione, Christum reliquerunt et fugerunt omnes. Unde verissime David, Psal. XXIX. ait: *Avertisti faciem tuam a me et factus sum conturbatus*. Et pulcherrime S. Felix martyr, qui cum aliquando persecutores fugiens inter duos parietes ædium se occultasset, et repente aranea quædam aditum illum tela obduxisset, ne prætereuntibus suspicio latentis hominis fieri posset, inde regressus dixit: *Præsentem Christo aranea fit murus: absente Christo murus fit aranea*, ut in ejus vita. Murus erat cor Petri, quamdiu Christus ei aderat; hoc vero ablato, factum est araneæ tela.

Tertio, disce non confidere in homine, quantumvis tibi amico. Si enim qui Christum adeo diligebant, discipuli, ingruente tribulatione magistram deseruerunt, quis in posterum spem suam ponat in hominibus? Idem expertus est rex Sedecias; comprehenso enim ipso ab hostibus omnes bellatores ejus dispersi sunt et reliquerunt eum, IV Reg. XXV. Nimirum quilibet sibi ipsi consulere et providere debet, atque in Deo imprimis spem suam ponere, non autem in homine contra Deum, aut plusquam in Deo, aut ita ut in Deo. Homines enim plerumque amicitiam servant, quamdiu prospera succedunt: tentationis vero tempore recedunt. Et quid proderunt tibi commensatores et similes amici in mortis articulo? Relinquent te jacentem et sibi ipsis consulent.

V. *Adolescens quidam sequebatur Christum dum vinetus duceretur, amictus sindone super nudo, et tenuerunt eum. At ille rejecto sindone, nudus profugit ab eis*. Narrat hoc solus Marcus, nec exprimit, quis fuerit. Forsitan erat ex villa Gethsemani, qui audito de prope armorum strepitu, consurgens e lecto spectatum advolvit sindone coopertus. Sed quid atinebat hoc narrare? Primo, ut hinc cognosceremus, quanti res periculi fuerit ea nocte sequi Christum, quamque ingens fuerit Judæorum furor et libido, qui seminudum adolescentem, quod ad Christum perti-

nere videretur, comprehendere studuerint: ac proinde nullatenus dimisissent Christi discipulos, nisi ejus inhibitione mirabiliter fuissent impediti.

Secundo, ut doceremur non adire peccandi pericula: *Quia qui amat periculum, in illo peribit*, inquit Eccl. III. si enim non secutus fuisset turbam tumultuantem et furem, ab ea tentus fuisset. Sed in hoc tamen caute egit, quod rejecta sindone nudus profugit. Hac enim sua fuga docet nos in periculo amittendæ gratiæ et salutis nostræ, vitam potius et terrena bona omnia relinquere, quam illam in discrimen ponere. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* ait Dominus, Matth. XVI. Fecit hoc ipsum sanctus ille adolescens Joseph, qui sollicitatus a domina et pallio apprehensus, dimisit pallium in manu ejus et aufugit, Gen. XXXIX. Quod si igitur mundus, caro, dæmon, nos abstrahere a Deo volunt, dimittamus potius pallium, et omnia quæ habemus.

Tertio, forsitan ut schema nobis exhiberet ejus persecutionis, quæ futura est tempore antichristi. Ibi enim denuo capietur Christus et ligabitur in membris suis, ita ut periculosissimum sit futurum, sequi Christum. Nam antichristi asseclæ eos comprehendent et a fide avertent. *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: et qui in tecto, non descendant tollere tunicam suam*, id est, temporalia omnia sua salutis postponant, quia spoliabuntur, occidentur, etc. Nos igitur Deum rogemus, ne hanc vel similem tentationem nobis immittat, periculum enim foret ne propter amorem fluxarum rerum Deum relinqueremus et in vincula dæmonis iremus.

§ IX. — DUCITUR AD ANNAM ET CAIPHAM,
UBI CÆDITUR ALAPA.

I Adducunt Jesum ad Annam. — II. Ab Anna ad Caipham. — III. Minister affligit ei alapam, eamque grandem, et cur passus. — IV. Respondet Jesus percussori.

THEMA.

Adduxerunt eum ad Annam primum. Joan. XVIII.

Sæpius quidem diximus arcam veteris Testamenti typum fuisse Christi, video tamen inter hunc et illam, magnam discrepantiam. Etenim arca fœderis postquam a Philisthæis capta est, cum tractaretur irreverenter, terribiliter grassata est in sui contemptores, I. Reg. V. et VI. Nam in primis illata in templum Dagon, Azotiorum ido-

II. PARS HIEMALIS.

li, mansit quidem ibi, sed Dagon ante eam corruit et capite truncatus est. Deinde Azotii ab eadem fœdam acceperunt plagam. Rursum Bethsaminæ, quod curiose et irreverenter arcam inspexissent, morte repentina magno numero plexi sunt. Nihil horum fecit Christus, quando a Judæis captus et in domum pontificis deductus fuit. Sedet ibi pontifex vel pontificis potius idolum, juxta id Zach. XI. *O pastor et idolum!* Sed percutitur in faciem Christus, et si D. Vincent. ord. præd. ser. de passione credimus, ictu alapæ prosternitur. Ibi pontifex et ministri insaniant in Christum conspuendo, velando, cædendo: nemo tamen unus plaga aliqua tangitur. Itane lignea arca captivitatem suam tam dira ultione plectit: non item arca viva? Sed nimirum alia erant vincula, quæ constrinxerunt arcam nostram, Christum: *Captus enim est in peccatis nostris*, ait Jeremias, Thre. IV. Hæc vincula illum tenuerunt, et a vindicta prohibuerunt, quia jugulari pro nobis venit, non jugulare. Quid igitur actum cum arca nostra Christo.

I. *Adduxerunt eum ad Annam*. Multis modis ærumnosa fuit hæc ductio. Primo, ob corporis Christi imbecillitatem, quia paulo ante per sanguinem sudorem debilitatum erat: nunc autem festinanter cum trahentibus pergere debebat. Secundo, ob trahentium ferociam, qui absque dubio instar canum in captam prædam initio sævissime grassati sunt. Quis eorum numerasset verbera, quis probra et insultationes? Quis nequitias, quibus forte sæpius eum in terram dejecerunt vel per torrentem traxerunt? Tertio, ob viæ asperitatem, longitudinem, (inde enim hortus distabat ad milliare Italicum) et obscuritatem. Quarto, ob ducti dignitatem; duci, ligatum præsertim, servorum et nebulonum est. Qualis enim hic Domini comitatus, qui paulo ante per eandem viam tanto cum honore, et populæ applausu urbem illam ingressus erat? Quantum inter hunc et illum ingressum discrimen?

Sed cur ad Annam duxerunt? Primo, ut Annam honorarent tamquam socerum pontificis et oculos ejus pascerent hujus tam optatæ prædæ ostensione. Sed vide num id æquum sit, ut cum ignominia et contemptu Christi honorentur reprobi, Annas a militibus, et Herodes postea a Pilato? Secundo, ut quasi de communi hoste triumphum agerent, et veluti lupum captum ostentarent per urbis compita. Tertio passus est id Christus, ut disceremus nos obedire et sequi aliorum ductum, quocumque tandem ducamur. Quid enim facerent milites apud An-